



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. v.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

secundum qualitatem delicti, & secundum canonum statuta, & pœnitentialem probatorum pœniteat.

De illis qui in necessitatis tempore, & pœnitentiã, & reconciliationem desiderant. Cap. IIII

His autem qui in tempore necessitatis & in periculis *Ex decr. Leonis pa. ca. 9.* urgente instantia, pœnitentiã, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiã domini, nec mēsuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur venire moras conuersio, dicente domino per prophetam: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Et alibi: Dic iniquitates tuas prior, vt iustificeris. Item: Quia apud dominum misericordiã est, & copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus, lachrymasque negligere cùm ipsam pœnitentiã afflictionem, ex Dei credamus inspiratione concessam, dicente Apostolo: Ne forte det illis deus pœnitentiã vt respiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

De eadem re. Cap. V.

Et hoc quæsitum est, quòd de his obseruare oporteat, *Ex decr. Innocēti pa. ca. 22.* qui post baptismum omni tempore incontinentiã voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiã simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his obseruatio prior durior, posterior inuterueniente misericordiã inclinatio est. Nā consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentiã, sed cōmunio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persequutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos, non reuocaret à lapsu, meritò negata cōmunio est, concessa pœnitentiã: ne totum penitus negaretur, & durior remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulso, communionem dari abeuntibus placuit, & propter misericordiã, quasi viaticum profecturis, & ne Nouatianis hæreticis, negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentiã extrema cōmunio: vt homines huiusmodi, vel in supremis suis permittente saluatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.